

3. Omnes translationes pensionum admodum odiosæ sunt, & omnino reiiciendæ; quia eo tendunt, ut perpetuam in seruitutem redigantur Beneficia, & hæreditaria quasi successio in iis inducatur; quod a mente Ecclesiæ alienissimum est. De cætero omnes prædictæ conditiones, si in pactura veniant, sunt simonicæ; hinc omnes in supplicatione Pontifici oblata exprimentæ sunt, ut a simonice vitio purgentur. *Fromageau.*

CASUS XXXII. Urbanus Episcopus, cum Papa pensiones ex Beneficiis non amplius vellet concedere, parochis ex morbo vel senio ad parochiales labores jam inhabiles nec habentibus, unde decenter vivere possint, in diocesi sua pensiones constituit resignare volentibus. An id non excedit potestatem Episcopi?

R. Episcopus ex potestate quadam œconomica fundata in æquitate naturali & utilitate Ecclesiæ in hisce circumstantiis potest constituere pensiones autoritate propria; quia alioquin plures parochi obeundo muneri suo jam inhabiles in officio relinquendi forent cum dispendio salutis animarum, Ecclesiæ ac totius diocesis; id quod sane adversatur intentioni summorum Pontificum. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Permutatio Beneficiorum. Renunciatio. Resignatio.*

PERJURIUM.

1. *Perjurium* est iuramentum falsum, vel violatio iuramenti aliquando facti; & hinc pejerare idem est ac jurare quidpiam esse verum, quod re ipsa est falsum, vel violare iuramentum antehac emissum. *Perjurium* ex sua natura est peccatum mortale, sitque perjurus infamis ac pœnæ obnoxius.

2. Committit *perjurium*, qui apposito iuramento scienter affirmat rem falsam, aut negat rem veram. Crimen hoc nec excusat metus, nec consuetudo, nec utilitas, quæ exinde provenire posset, nec quævis alia causa, saltem nisi actum reddat imperfectum, qualis foret inculpabilis ignorantia.

3. Sicut tres dantur iuramentorum species, *assertorium* scilicet, *promissorium* & *comminatorium*, ita etiam tribus modis potest *perjurium* committi: *perjurium* enim vel respicit rem præsentem, vel futuram, quæ promittitur, aut quam quis facturum se comminatur. Respectu rei præsentis

tis *perjurium* semper est peccatum; quia actu juratur contra veritatem. Respectu rei futuræ, quam quis nunquam intendit exequi, *perjurii* peccatum committitur ipso momento, quo juratur: si vero adsit intentio implendi rem iuramento promissam, tunc primum committitur peccatum, quando quis recusat adimplere promissum; supposito tamen, quod possit impleri absque offensa Dei aut absque omissione alterius operis evidenter sanctioris & magis meritorii. Dicitur autem, *absque offensa Dei*; quia, si quis juraret, commissurum se peccatum, non teneretur hoc iuramento, & quod perverse juravit, multo perverius adimpleret. Dicitur etiam, *absque omissione alterius operis evidenter sanctioris & magis meritorii*; quia, licet opus foret supererogatorium, non tamen obstaculum ponendum est motioni Spiritus sancti: & in hoc casu, sicut in aliis, ubi iuramentum metu vel vi fuit extortum, securius erit a Superiore legitimo petere dispensationem a iuramento, vel a persona, in cujus favorem promissio iuramento firmata est, remissionem obligationis.

4. Jus canonicum statuit, ut Beneficiatus *perjurii* crimine contaminatus privetur suo Beneficio, sitque in perpetuum inhabilis ad ferendum in iudicio testimonium.

5. Et certe is, cui tam parum religionis est, ut pejerare audeat, nullam amplius fidem meretur; cum præsumi possit, eum non minus esse dispositum ad alterum *perjurium*, ac ad simplex ac leve mendacium, *Ubi quis pejeravit*, inquit Cicero Orat. pro Roscio, *ei credi postea, etiamsi plures Deos juret, non oportet; quia, qui semel a veritate deflexit, is non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perducitur consuevit.* Juxta unanimum omnium jurisperitorum sententiam *perjurus* nunquam ut testis admittendus est. Carolus Magnus Capitul. 23. in *perjurus* pœnam statuit amputationis manus dexteræ. Per edictum Ludovici S. de anno 1254. *perjuri* condemnati privabantur beneficio appellationis a sententia condemnatoria. Denique juxta antiquam consuetudinem minoris Britannicæ *perjurus* condemnatur ad jacturam omnium bonorum suorum mobilium, eaque adjudicantur Domino loci, in quo sententia condemnatoria adversus eum pronunciata fuit; & si *perjurus* erat persona publica, declarabatur infamis, & ad omnes functiones publicas inhabilis.

6. Nihilominus leges Romanæ non statuunt determinatam pœnam in *perjuros*, & Alexander Imperator divino eos iudicio relinquendos existimat Leg. *Jurisjurandi.* 2.

Cod. Lib. 4. Tit. 1. ubi ait : *Jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet.* Hinc poenae, quæ a iudicibus in perjuros pronunciantur, arbitrariæ plerumque sunt, & mensurantur ordinarie ex circumstantiis facti & qualitate personæ.

CASUS I. Menalippus interrogatus, num exiverit in agros, contra veritatem respondet, quod non; & hoc suum assertum jurejurando confirmat, Deum in testem vocando. Peccavitne mortaliter, præsertim cum usus fuerit æquivocatione aut restrictione mentali, & alias materia juramenti fuerit levis momenti, nec interrogantem ullo modo tetigerit?

R. Non videtur excusari posse Menalippus a peccato mortali: Scriptura enim clare ac sine ulla distinctione pronunciat, omne perjurium esse mortale peccatum, ut probat D. Thomas 2. 2. q. 98 art. 3. C. Æquivocationes & restrictiones mentales sunt media & regulæ perniciosissimæ ad tegendam veritatem, de quibus loquitur S. Augustinus L. de mendac. c. 3. quasque luculentissimis argumentis refellit Innocentius XI. 2. Martii 1679. ut erroneas ac scandalosas damnavit sequentes tres propositiones, easque doceri prohibuit sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, & extra articulum mortis Sacræ Sedi reservatæ.

PROPOSITIO I. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* PROPOSITIO II. *Si quis vel solus, vel coram alio, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel etiam aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoadvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.*

PROPOSITIO III. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* S. Augustinus Lib. contra mendacium exclamat: *Ubi estis fontes lachrymarum, & quid faciemus? quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacium, sed audemus insuper docere perjuriam?* Pontas.

NOTA. In eo casu, quo quis de re non cuivis aperienda temere & absque omni interrogandi jure interrogat, nec aliud relinquitur effugium, licet quidem uti æquivocatione vel restrictione facile sensibili, nunquam vero juramento ultroneo, multo minus cum æquivocatione aut restrictione mentali.

CASUS II. Posthumius comperit, Hieronymum famulum suum graviter valde in re quapiam deliquisse; & ideo iracundia commotus jurat, dignis se in famulum castigationibus animadversurum. At vero Hieronymus delicti veniam rogat, & ob spem futuræ emendationis etiam impetrat ab Hero suo prætermissa omni castigatione, non obstante juramento. Estne Posthumius perjurii reus?

R. Qui jurat, se commissurum peccatum, nunquam potest obligari ad implendum juramentum, nec unquam juramentum debet impedire majus bonum; cum juxta S. Augustinum Can. Inter. 22. caus. 22. q. 4. juramentum nec sit vinculum iniquitatis, nec impedimentum melioris boni. Idem docet Cardinalis Cajetanus v. *Perjurium.* n. 23. *Et hinc fit, inquit, ut quando melius est parcere, aut abstinere a comminati mali justæ executione, non teneatur quis ad juramenti executionem.* Hinc dicendum, quod Posthumius persuasus, famulum suum multo facilius hac sua indulgentia, quam per intentatam ipsi castigationem emendatum iri, absque periculo committendi perjurii potuerit ipsi ignoscere, ac poenam condonare. Pontas.

CASUS III. Philonides Comes intraturus portam palatii sui simplici cuidam Nobili secum pariter ingressuro præcedentiam offert. Jurat hic, se non intraturum ante Comitum: paulo post vero repetitis invitationibus cedit, & prior ingreditur. Estne Nobilis iste perjurus ob non servatum hac occasione juramentum?

R. Juxta sacram facultatem theologicam Parisiensem art. 60. *Errant, qui asserunt, eum, qui jurat sine animo jurandi, aut sine intentione se obligandi, non pejerare, nec jurisjurandi religione adstringi.* Et sane hæc doctrina omnino confirmis est non solum Evangelio, menti Patrum, & præprimis S. Augustini, sed etiam simplici rationis lumini ac bono sensui, ita ut in dubium revocari nequeat sub falso prætextu, quod ejusmodi juramenta accipienda non sint ad litteram, & in sensu proprio atque rigoroso, scilicet prout verba sonant. Verum est, Cajetanum & non nullos alios Casuistas in posteriorem hanc abiisse sententiam, existimantes, ejusmodi juramenta consideranda esse tanquam aliquod politicæ reverentiæ genus ab inferiore exhibitum illi, qui alteri vult hunc deferre honorem, quo tamen hic indignum se reputat. Sed per hoc ipsum latissima panditur via omnibus æquivocationibus & restrictionibus mentalibus ab omni sana theologia damnatis. Et hinc memoratus Nobilis a peccato perjurii excusari non potest: licet enim in juramen-

to ipsius non defuerit *justitia*, defuere tamen *veritas* & *judicium*: ubi autem harum trium conditionum vel unica deest in juramento, peccat jurans; & quidem peccatum hujus Nobilis ex eo capite gravius est, quod videatur ex inveterata consuetudine sic jurasse. *Pontas.*

CASUS IV. Pierius mutuos dedit Mævio 3000. florenos, confecto desuper apud Notarium instrumento. Post lapsum temporis in bona Mævii creditores immittuntur, & Pierius a processibus judicialibus abhorrens jura sua pro quadam pecuniæ summa cedit Sempronio Mævii ex fratre nepoti, facta ipsi potestate, ut titulo his juribus acquisito ad solvendum ex bonis Mævii debitum agat. Renuit Sempronius acceptare cessionem hanc, nisi ea conditione, ut Pierius cautionem præstet de vendito credito, secreti fidem servet, & interim actionem debiti apud judicem prosequatur, vel potius ut ipsemet Sempronius Pierii nomine agere in judicio valeat. Promittit Pierius, servaturum se secretum. Cumque jam pene finiretur causa, Sempronius insistit, ut Pierius ad obtinendum creditum jurato coram judice affirmet, summam illam 3000. florenorum justo sibi titulo ac legitime deberi. Excusat autem se Pierius, timens, ne, postquam renunciavit credito per cessionem in favorem Sempronii, hac affirmatione perjurium committat. Estne hic timor satis fundatus?

¶ Jure naturali datur obligatio servandi secretum; nec violari potest absque peccato, quando aliunde versatur circa rem honestam & licitam, & neque Publico, nec alicui personæ privatæ damnum inde eventurum est. Hujusmodi est secretum, quo Pierius promittit Sempronio; illud ergo revelare non potest sine manifesta perfidia, debetque se gerere, ac si nunquam se inter & Sempronium pactum aliquod intervenisset. Quantum porro ad metum atinet, scilicet ne falso affirmet apud judicem, sibi 3000. florenos titulo mutui deberi, metus iste omni fundamento caret, jus enim ipsius & jus Sempronii unum solum jus jam constituit, de cujus veritate & justitia serio cautionem præstitit Sempronio; intentio judicis urgentis affirmationem juridicam alla non est, nisi ut manifeste pateat, quod Pierius habeat tutulum, id quod vere ac absque omni mendacio aut perjurio affirmare potest; quia *nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur*, ut habet regula juris 55. ff. de reg. jur. antiq. Accedit, quod Pierius hanc affirmationem recusare nequeat, quin omnem amittat fidem, & ipse in judicium provocetur a Sempronio ad restituendam

sum-

summam pro cessione debiti ab eo acceptam. Denique hæc recusatio petitiæ affirmationis causa foret discordiarum patrum inter ac nepotem. *Pontas.*

CASUS V. Balthazarus a judice interrogatus affirmat cum juramento, aliquid esse verum, quod & re ipsa verum erat, ipse tamen credebatur esse falsum. Estne reus perjurii, quamvis verum esset, quod affirmaverat?

¶ Juxta S. Thomam 2. 2. q. 98. art. 1. ad 3. perjurium committit, qui affirmat contra sensum propriæ mentis ac conscientiæ, rem esse veram, quamvis re ipsa vera sit; quia affirmat & jurat spectata propria mentis experientia falsum. *Interest*, inquit S. Augustinus, *quemadmodum verbum procedat ex animo; quia veram linguam non facit nisi mens rea.* Et ideo Balthazarus perjurii reus est ob injuriam atrocissimam Deo illatam, quem sic voluit constituere protectorem ac fidejussorem mendacii, dum ipsum in testem vocavit rei, quam falsam in conscientia judicabat. *Pontas.*

CASUS VI. Dominicus judex causæ Claudium inter & Albanum agitatæ scit, Claudium sæpius jam pejerasse. Potestne ab eodem ad instantiam Albani juramentum exigere; etsi moraliter certus sit, eum etiam hac vice pejeraturum?

¶ Judex tenetur procedere & judicare secundum formam a legibus præscriptam; eumque non ipse sit causa perjurii committendi ab illo, a quo juramentum exigit ad instantiam partis adversæ, potest juxta S. Thomam 2. 2. q. 98. art. 4. C. juramentum exigere a Claudio; discrimen enim faciendum est inter personam publicam, qualis est judex, & personam privatam, quæ omni modo possibili tenetur impedire injuriam per falsum juramentum Deo inferendam & damnum spirituale, quod exinde redundaret in proximum. *Pontas.*

NOTA. Ipse judex tenetur omnem adhibere conatum, ne res deveniat ad præstationem juramenti, quin tamen a suo desleat officio, vel adhortando eum, qui exigit, ut hac in re cedat, vel ei, a quo exigitur juramentum, proponendo gravitatem rei, & funestissimos effectus perjurii, vel denique in hoc casu ex officio vel charitate Christiana monendo Albanum, jam sæpius Claudium pejerasse.

CASUS VII. Fabianus centum florenos debet Sempronio. Hic in judicium vocat Fabianum, ab eoque ducentos florenos, ut supponebat, sibi debitos, ac proin solvendos postulat. Judex juramentum desert Fabiano, qui illud acceptat, & jurato affirmat, se non debere ducentos; & hinc ju-

F 5

dex

dex a iudicio & debito simul ipsum absolvit. Estne Fabianus perjurii reus?

ꝑ. Si jurasset Fabianus, se nihil debere Sempronio, absque dubio perjurium commisset. Cum autem solum juraverit, se non debere ducentos florenos, quos prætendebat Sempronius, nihil affirmavit contra veritatem. Ad iudicem pertinebat distinctius & enucleatius interrogare; Fabiani vero solum erat, ex mandato iudicis ad propositam sibi quaestionem respondere. His tamen non obstantibus Fabianus in foro interno ac in conscientia semper tenetur solvere centum florenos vere debitos, etsi in foro externo a solutione debiti sit absolutus. *Pontas.*

CASUS VIII. Elias jurato promisit cuidam amicorum suorum, facturum se, quæ postulerat. Sed modo non nisi difficillime potest exequi promissa. Estne perjurus, si exequatur?

ꝑ. Si Elias non prævidit difficultatem modo occurrentem, non erit perjurus promissum non adimplens: dum enim quis jurat, se facturum quidpiam, semper hæc conditio tacite adjecta censetur, si nempe res sit licita, & honesta, atque sine nimia difficultate præstari possit. *Cum aliquis jurat*, ait S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 2. ad 3. *se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio: si scilicet id, quod ei mandatur, licitum sit & honestum & portabile, sive moderatum.* *Pontas.*

CASUS IX. Menander mercator ad commercium suum indiget parata pecunia; & hinc vendit Basilio fundum, cujus proventus annui ad 150. florenos excurrunt. Uxor ipsius Lucia in fundo hoc dotem suam constitutam habens consentit in alienationem hanc a marito factam. Sed Basilius metuens, ne mortuo Menandro Lucia forte sit repetitura fundum, ab ea juramentum exigit, quo Deum testem invocat sui consensus, præfatumque fundum nunquam posthac revocaturam se promittit. Moritur Menander, & Lucia ab Advocato rerum forensium peritissimo docetur, ipsam juramento suo non teneri. Potestne ergo Lucia citra perjurium agere ad restitutionem fundi?

ꝑ. Regula est indubitissima, juramentum obligare, dum non est contra iustitiam aut contra conscientiam. Jam vero juramentum Luciae nec adversatur iustitiae nec conscientiae; cum cuiuslibet liberum sit consentire in alienationem rei legitimo Domino possessæ. Lucia ergo absque perjurio non potest repetere fundum in foro interno, etsi id fors possit

in

in foro externo. Ita statuit Innocentius III. Cap. *Cum contingat.* 28. Lib. 2. Tit. 24. *Pontas.*

CASUS X. Andronicus ex præcipitantia in loquendo falso jurat. Estne perjurii & peccati mortalis reus?

ꝑ. Si advertit, se jurare contra veritatem, comisit verum perjurium mortaliter peccaminosum. Si vero de hoc non cogitavit, & hoc juramentum non sit effectus contractæ sic jurandi consuetudinis, fieri potest, ut tantum peccaverit venialiter ob defectum deliberationis. Sic S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. *Pontas.*

CASUS XI. Cyrillus juravit, nullas per aliquod tempus se elargiturum eleemosynas, nec religionem ingressurum, quod tamen aliquod abhinc diebus statuerat. Fietne perjurus, si agat contra juramentum?

ꝑ. Non tenetur servare hoc juramentum; imo melius faciet, si illud non exequatur: nemo enim juxta S. Thomam 2. 2. q. 89. art. 7. C. tenetur exequi juramentum de re mala vel alicujus boni impeditiva emissum. *Pontas.*

CASUS XII. Gregorius volens redimere injustam vexam, aut extricare se ex processu judiciali, vel evitare mortem sibi a Balduino jam destinatam, triginta eidem offert dupliones, ac Deum servandi promissi testem implorat. Teneturne stare suo promisso, aut petere absolutionem ac dispensationem a Superiore ecclesiastico?

ꝑ. Tenetur vel stare promisso vel petere dispensationem; licet ex metu gravi promiserit ac juraverit. Si metus iste non ex toto ipsi abstulit tempus deliberandi secum, specialem contraxit obligationem respectu Dei, quem promissi testem esse voluit; & hæc obligatio ipsum ligat in foro conscientiae. Debet ergo potius ferre damnum aliquod temporale, quam jurato a se factæ promissioni deesse. Nec paritas cum voto, quæ hic obici posset, quidpiam facit ad rem præsentem; cum magnum inter utrumque discrimen obversetur: votum enim ex gravi metu emissum non est verum votum; juramentum vero eodem metu extortum semper manet juramentum. *Pontas.*

NOTA. Ex his inferri potest, quod is, qui latroni præsentem mortem minitanti jurato promittit summam pecuniæ pro conservanda vitæ ac incolumitate, teneatur promissum adimplere. Idem dicendum de captivo, qui ex captivitate dimissus præstito juramento, quod ad nutum velit se sistere, perjurus foret, si se non sisteret. Ipsi pagani inviolabiliter servandam semper existimabant fidem juramenti; quod probat S. Augustinus exemplo Attilii Reguli consulis Romani, quem in Africa captum Carthaginenses cum legatis suis Romam miserunt ad conciliandam cum Romanis pacem.

Hic

Hic, uti conditionibus pacis a Romano Senatu rejectis facile persuadere sibi posset, morte crudelissima se periturum; Carthaginiam tamen rediit, ne juramenti fidem violaret. C. A. Id tamen secure affirmari potest, omnia promissa, etiam jurata, metu extorta tunc solum jure naturæ esse invalida aut dissolubilia, quando extorquenti certo ac evidenter constat de injustitia extorsionis.

CASUS XIII. Laurentius, ut ab injusta persecutione, quam ab anno jam & ultra a Luciano patiebatur, sese eximeret, cum juramento eidem promisit quinquaginta florenos; jurando autem habuit actualem intentionem postea petendi dispensationem ac absolutionem a juramento. Estne habendus pro perjuro?

g. Cum juramenti hujus impletio illicita sit ex parte Luciani, Laurentius videtur jurare potuisse cum hac intentione absque periculo perjurii. Ratio est; quia nihil fecit, quod præcise repugnaret juramento; cum ad evitandum perjurium sufficiat habere intentionem faciendi id, ad quod per juramentum quis se obligat: noverat autem Laurentius, omnem juramenti obligationem cessare, quamprimum intentam dispensationem obtinuerit. Potuit ergo jurare cum intentione petendi dispensationem sui juramenti: imo etiam si jurasset, se non petiturum dispensationem, eam tamen petere posset; cum ejusmodi juramentum adversetur justitiæ publicæ. Ita docent S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. & Innocentius IV. in suo Commentario in Decretales. Si tamen res juramento firmanda est licita tam ex parte jurantis quam recipientis juramentum, certum est, in hoc casu absque perjurio non posse fieri juramentum cum intentione petendi dispensationem, sed jurantem compellendum esse ad executionem juramenti; cum nulla prorsus subsit ratio, ex qua dispensari possit. *Pontas. Vide Juramentum. cas. 10.*

NOTA. Cum hoc juramentum Laurentii sit omnino ultroneum, nullaque vi directe vel indirecte extortum, videtur sane illicitum. Ecclesia tantum solvit aut commutat juramenta dubii valoris, vel pro ratione circumstantiarum dubiæ obligationis.

CASUS XIV. Sosrates famulus domesticus cujusdam Nobilis fidem suam juramento confirmatam obstrinxit Hero suo, fustes se inflicturum cuidam rustico: mutata autem voluntate ab hac fustigatione abstinuit. Putasne, pejeravit?

g. Non potuit Sosrates juramento se obligare ad faciendam hanc rem utpote injustam, quin aliquo modo perjurii se reum constitueret: non tamen perjuriam commisit

fit ex eo præcise, quod juramentum executus non fuerit; imo peccasset illud exequendo. *Ille qui jurat, se facturum aliquid illicitum, inquit S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 2. ad 1. jurando incurrit perjurium propter defectum justitiæ. Sed si non impleat, quod juravit, in hoc perjurium non incurrit; quia hoc non erat tale quid, quod sub juramento cadere posset. Pontas.*

NOTA. Qui jurat rem justitiæ vel bonis moribus repugnantem, aut quomodocumque illicitam vel inhonestam, non indiget dispensatione ad hoc, ut ab obligatione juramenti se liberet, sed solum absolutione a peccato, quod sic jurando commisit. C. A.

CASUS XV. Petilianus absque chirographo mutuos dedit Tristano 250. florenos. Post anni lapsum commodatam summam repetit. Respondet Tristano, posse ipsum pace sua adire judicem, se certe paratum ad præstandum juramentum, quod nihil prorsus ipsi debeat. Petilianus sciens, virum hunc jam bis in aliis occasionibus pejerasse, timensque, ne & hac vice sit pejeraturus, potestne absque peccato ab ipso juramentum exigere, cum aliud non superfluum medium solutionem extorquendi?

g. Non videtur, quod Petilianus tuta conscientia possit a Tristano in judicio juramentum exigere: præceptum enim diligendi Deum nos obligat, ut nunquam cooperemur ad offensam Dei. *Ille, qui hominem provocavit ad jurationem, & scit, eum falsum esse juraturum, vincit homicidam, inquit S. Augustinus Can. Ille. 5. caus. 22. q. 5. quia homicida corpus occisus est, ille animam, imo duas animas, & ejus, quem jurare provocavit. & suam.* Observandum tamen cum S. Thoma in 3. sept. dist. 39. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad 2. quod si judex actualiter pro tribunali sedens ex officio juramentum exigat juxta consuetum juris ordinem, non habeat actor potestatem remittendi juramentum reo, sed e contrario possit illud recipere ac in rem suam convertere; quia pertinet ad bonum publicum, ut ordo juris observetur. *Pontas.*

NOTA. Cum Petiliano prudens adhuc ac probabilis spes superesse possit de veridico juramento Tristani, idque conformiter ad legem charitatis Christianæ, vi cujus non semper judicandus malus, qui bis fuerat malus, & minatus est, & tertio se fore malum, videtur licite Tristano imponi juramentum.

Vide Juramentum,